


2/99

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 128

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSI, in aedibus, quibus nomen **aeschlimann publicity** est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	27.--
In ceteris Europae terris	sFr.	32.--
In terris trans maria sitis	US\$	30.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:  
Udalricus Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martinus Meier  
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat: Christina Meier-Portner

Typographeum: Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam  
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
INTERNET: [http://www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Institutum pecuniarium:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0

## IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei **aeschlimann publicity** herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	27.--
Europa	sFr.	32.--
Übersee	US\$	30.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:  
Ulrich Aeschlimann lic.phil.  
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)  
Barbara Maier  
Martin Meier  
Daniel Weissmann

Grafik und Layout: Christine Meier-Portner

Druck: Copy Quick, Solothurn


Verlagsadresse:  
RVMOR VARIVS, c/o **aeschlimann publicity**  
Rosenweg 7, CH - 8353 Elgg  
e-Mail: 113376.1317@compuserve.com  
INTERNET: [http://www.aeschlicity.ch/rumor\\_varius](http://www.aeschlicity.ch/rumor_varius)

Bankverbindung:  
Schweizerischer Bankverein  
Zürich-Oerlikon  
U. Aeschlimann, RVMOR VARIVS P7-642.719.0


# PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Hoc anno mundi universum hominibus eventum rarum praebebit, qui apud nos quoque spectari poterit: Die 11<sup>o</sup> mensis Augusti eclipsis solis fiet. In regionibus quibusdam ad septentriones ab Helvetia vergentibus, velut in urbibus Saravi Ponte (Saarbrücken), Stutgardiae (Stuttgart), Monachi (München), Salisburgi (Salzburg), Sabariae (Szombathély, in Hungaria sita), Bucarestiis (Bukarest) solem per duas fere minutas totum luna opertum videri poterit, in aliis magna pars solis obscurabitur, velut Vindobonae (Wien, 99%), Francofurti (Frankfurt, 98%), Basileae (Basel, 97%), Turici (Zürich, 97%), Bernae (Bern, 95%), Berolini (Berlin, 89%). Id spectaculum mirum et ingens omnibus saeculis animos hominum movebat, stupefaciebat, admirationem vel metum inciebat. Multae et variae erant explicationes huius eventus: Sinenses putabant draconem magnum solem devorare conari, prophetae Iudaei poenam dei populo Israeliano instare credebant, alii eclipses omen deorum, quo commutationes rerum magnae indicebantur, habebant vel metuebant, ne dei hominibus irascerentur.



Nihil nisi falx arta solis post lunam apparet.



Luna tota solem obtectura est.

Sed iam antiquibus temporibus erant homines docti, qui cognovissent, cur eclipsis solis fieret, velut ille Thales Milesius celeberrimus, qui eclipses anni 585<sup>i</sup> a.Chr.n. etiam praedixisse fertur, ut clarus scriptor rerum Graecus Herodotus (circiter 485-420 a.Chr.n.) tradidit (Historiae I, 74). Eodem loco Herodotus, qui Halicarnassi natus est, narrat Lydos et Medos quinque annos bellum gerentes, cum media in pugna dies nox factus esset, hoc eventu perterritos et commotos statim pugnare destitisse et sine mora pacem fecisse.

Poetae vim eclipsis solis in animos hominum descripserunt, velut ille Archilochus (circiter 680-640 a.Chr.n.), Parius: "Nulla res insperata est et ni-hil abiurari neque mirari potest, postquam Iupiter, pater Olympiacorum deorum, meridiem noctem fecit lucem fulgentis solis occultans. Metus umidus homines corripuit. Ex quo omnia credenda et expectanda sunt hominibus. Nemo vestrum miretur videns feras montanas cum delphinis pascua maritima permutare et maris undas strepentes magis eis placere quam terram, delphinos autem montes silvanos praeferre." (Fragmentum 74).

Et Pindarus (circiter 522-446 a.Chr.n.), postquam eclipses solis descripsit, Iovem deum implorat, "ut universale miraculum in bonum Thebis vertas", tum animo sollicito quaerit: "...affersne omen belli vel perniciosae discordiae vel inundationis maris in campos vel terrae dehiscendae...vel terram funditus ablues et novum genus hominum procreabis?" (9. Paeon ad Thebanos).



Sic eclipsis in regionibus, ubi sol totus obtegatur, fiet (e.g. Stutgardiae). Corona apparebit.

Nostra aetate in multis et variis libris et actis diurnis legere possumus, quando et qua de causa et quomodo eclipsis solis fiat. Quae res tamen homines commovet et eventus extraordinarius putatur. Sed si videmus, quanta bella atrocita in toto fere mundo ab hominibus gerantur, desiderandum esset, ut homines in bellis versantes causas eclipsis solis ignorarent et metu maximo irae deorum correpti pacem facerent velut olim Lydi et Medi. Doleo, quod timendum est, ne id non fiat.



Sic eclipsis in regionibus, ubi pars solis tantum obtegatur, fiet (e.g. Turici, 97%). Falx artissima solis permanebit, corona non spectari poterit.

Scilicet sunt, qui hominibus metum incere velint et etiam mundum interitum esse dicant. Sed pluries iam mundus interisset, si id sole deficiente fieri soleret. Videbimus....

Nonnulla de eclipsibus solis in hoc libello legere poteritis.

Magna spes me tenet vos, cari legentes, etiam post diem 11<sup>um</sup> mensis Augusti haec scripta legere posse, si neque mundus neque Rumor Varius interierit.

D. W. Valete!

Daniel Weissmann

## Narratiunculae de solis eclipsibus

### De observatione praetermissa

Primus nuntius de solis eclipse ex Sina antiqua traditus est. Inscriptio sepulcri esse videtur:

Hic iacent corpora astrologorum Ho et Hi,  
quorum sors quidem tristis est, sed etiam risum movet;  
interfecti sunt, quod eclipses solis observare  
non potuerunt, quae eis non visibilis erat.

Quid accidit? Quae sunt causae huius inscriptionis obscurae?

In Sina solis eclipses diligenter observabantur, quia interpretationes earum in aula regia regnatoribus maximi momenti erant. Praeterea Sinenses solem obscurari dracone, qui eum devorare conabatur, putabant. Itaque


hunc draconem strepitu tympanorum, cantionibus, telis sagittariorum fugare solebant.



e munere dimissi sunt, sed regnator iratus eos capite damnasse traditur.

### De eclipse bellum movente

Solis eclipses in Asia anno 585° a.Chr.n. Lydos et Medos ad pacem constituendam commovisse iam in praefatione huius libelli legistis. Sed contra anno 840° p.Chr.n. eclipsis etiam belli causa fuisse narratur.



Imperator Ludovicus Pius (Ludwig der Fromme), filius Caroli Magni, qui tum regnum Francorum magnum obtinebat, etiam Ludovicus timidus appallari potuisset. Propter eclipses solis enim tanto terrore captus esse traditur, ut paulo post moreretur. Successione

non clara disposita tres filios eius, Ludovicus, Lothar et Carolus, annos tres bellum inter se gesserunt de regno. Denique imperium magnum dissolutum est, et pactione anno 843° Viroduni (Verdun) facta filii Ludovici heredium patris distribuerunt. Europa in tria regna disposita est, ex quibus civitates, quae nostra aetate Francogallia, Italia et Germania nominantur, orta sunt.

### De eclipsibus Mahometanis

Circum vitam Mahometi prophetae (circiter 570-632) tres solis eclipses fuisse dicuntur. Cum natus esset Meccae, eclipsis per Sudaniam, Aethiopianam Somaliamque visa est. Anno 632° ea die, qua filius prophetae mortuus est, eclipsis in ea regione spectari potuit. 39 annos post mortem Mahometi homines ossa eius Medina Damascus transferre voluerunt. Sed eo momento, quo sepulcrum aperuerunt, caelum obscuratum est et solis eclipsis per Libyam, Aegyptum, Arabiam Saudianam facta est. Quo signo, quod omen caeli habitum est, inceptum omiserunt. Itaque Mahometani fidei sepulcrum propheate visitantes Medinam peregrinantur, non Damascus.

### De eclipse sumptuosa



Ioannes Kepler

Praeclarus astrologus et philosophus Ioannes Kepler (1571-1630) Gradecii (Graz) munere professoris mathematicae functus anno 1600° solis eclipses observabat. Paulo post epistula cuidam amico haec narravit:

"Dum tractatione apparatus extraordinarii, quem in pulpito sub divo ad obscurationem solis observandam collocaveram, occupatus sum, alius occasione alterius obscurationis usus est: non solis, sed marsupii mei, ex quo 30 florenos rapuit. Mehercle, quam sumptuosa eclipsis!"

### De conatu servorum liberandorum


Anno 1831° eclipsis solis in America septentrionali in servis liberandis magni momenti fuisse fertur.

Net Turner, servus niger 28 annos natus in civitate Virginia speciem vidit ostendentem se populum suum ad libertatem ducturum esse. Socios concordem collegit, sed momentum ad liberatoris vocationem solis eclipsis

attulit: Luna, 'angelus niger', solem, 'angelum album', depellere visa est. Quod signum ad seditionem incipiendam fuit. Eodem anno primum dominus Turner(i) interfectus est, tum seditiosi in proximam urbem maiorem properaverunt, ubi ab exercitu civitatis compressi sunt. Turner ipse per 70 dies se abscondere potuit, tum autem eandem sortem passus est ac ducenti sociorum suorum: Suspensus est.

## De gallinis turbatis

Anno 1878° Thomas Edison in civitatem nomine Wyoming Americae septentrionalis iter fecit ad solis eclipses totam observandam. Ad id perficiendum apparatus scientificam collocavit. Quibus de causis stabulum gallinaceum stationem observandi elegerit, nescimus. Apparet eum ignoravisse, quid gallinae crescentibus tenebris facere soleant: Cum sol umbra lunae paulatim obscuraretur, gallinae opinantes vesperum venisse ad quietem nocturnam in stabulum reverterunt. Cum 'hospitem' creverunt, non delectati statim invasorem aggressae sunt. Edison maximam



partem temporis eclipsis totae, quae tres fere minutas durabat, consumpsit ad se ipsum contra gallinas defendendum. Observationes scientificas paucas tantum secundas peragere potuit.

partem temporis eclipsis totae, quae tres fere minutas durabat, consumpsit ad se ipsum contra gallinas defendendum. Observationes scientificas paucas tantum secundas peragere potuit.

Daniel Weissmann

## Proverbia Hispanica

*Mucho hablar, mucho errar.*

Loqui multum, multum errare.

\*

*La lengua del mal amigo más corta que cuchillo.*

Amici improbi lingua plus laedit quam culter.

\*

*De donde no hay, no se puede sacar.*

Ubi nihil est, illinc nihil capi potest.

\*

*El tiempo aclara las cosas.*

Res tempore illustrantur.

\*

*Allégate a los buenos, y serás uno de ellos.*

Adiunge te bonis, et ipse unus eorum eris!

\*\*\*\*\*

*Las muchas palabras son indicio de las pocas obras.*

Multa verba indicium paucorum operum sunt.

\*

*A buen entendor pocas palabras bastan.*

Illi, qui bene intellegit, pauca verba satis sunt.

\*

*Cuando estés en enojo, acuérdate que puedes venir a paz, y cuando estés en paz, acuérdate que puedes venir a enojo.*

Cum ira captus es, reminiscere te in pacem venire posse, et cum in pace es, reminiscere te ira capi posse.

\*

*El hombre prudente mira bien lo que promete.*

Homo prudens bene considerat, quae promittit.

\*

*Nadie sabe lo que vale agua hasta que falta.*

*Aquae virtutem nemo cognoscit, antequam defecit.*

\*

*Lo que de noche se hace, de día parece.*

*Ea, quae nocte fiunt, die apparent.*

\*

*Libro cerrado no saca letrado.*

*Liber clausus doctum non efficit.*

\*

*Más vale buen amigo que mal marido.*

*Amicus bonus melior est quam malus maritus.*

\*\*\*\*\*

*Si quieres bien casar, casa con tu igual.*

*Si vis bonum coniugium, coniugem tibi similem elige!*

\*

*Corazón contento es gran talento.*

*Animus contentus est magnum ingenium.*

\*

*Ni hermosa sin tacha, ni fea sin grada.*

*Neque mulier pulchra sine vitio neque mulier informis sine gratia est.*

\*

*En la vida no me quisiste, en la muerte me plañiste.*

*Dum vita manebat me non dilexisti, mortuum me deflevisti.*

\*

*Cosa bien negada nunca es bien probada.*

*Res bene negata numquam bene probata est.*

\*

*Dejemos padres y abuelos, por nosotros seamos buenos.*

*Amittamus patres et avos, per nos ipsos boni simus.*

In Latinum vertit Daniel Weissmann

## **In patris Caelestis diem natalem septuagesimum quintum**

**(Kalendis Quinctilibus anno MCMXCIX)**

**Partem saeculi explesti  
e quaternis tertiam.  
Sic totius Latinistae  
orbis Tecum gaudent iam.**

**Quis - Te rogo - inter vivos  
superet spargentem Te  
semen linguae Latinae  
acri a meridie**

**gelidas in boreales  
regiones? Quis ut Tu  
Romanorum et sermonem  
magno curat impetu?**

**Rideatis, o morosi,  
vera re pigerrimi**

ad loquendum hoc sermone,  
estis qui miserrimi!

Nostro patre duce vobis  
nos ignoto gaudio  
maximopere fruamur  
more diu solito.

Vivas, pater, tunc, Caelestis,  
vivas, crescas, floreas  
neve linguam communem  
nostram umquam deseras!

Squali etsi sunt loquacis  
verba ista rudia,  
optant imo tamen corde  
Tibi semper optima!

Martin Meier  
(Squalus obloquax)

# Aenigma

1	2	3	4	5
2				
3				
4				
5				

1. in capite est (Acc.)
2. heros Odysseae (Dat.)
3. flumen duas habet (Abl.)
4. egredi
5. afflictus

Barbara Maier

## DE PUTEO ET PENDULO

(The Pit and the Pendulum, 1843)

Edgarii Allani Poe fabula formidulosa in Latinum conversa

Pars prima

*Huius poetæ ingenium excellit parsimonia. Aulæo nondum sublato audimus modos musicos præcipuos, primis iam numeris noscimus fabulam factum in periculosam.*

*Figuræ breviter, ratione mathematica expositæ simul sunt figuræ fatales; quo fit, ut animus noster corripiatur potestate inaudita. Gurges molaris, hoc est infundibulum, vis inexsuperabilis, qua attrahit illud inane, illud nihil. Cisterna commonemur cortinae, circumlationis magis magisque angustæ, cella coartatur et urget ad rattos. Pendulo significatur tempus mortuum et mensurabile. Eidem affixa est ἡ τοῦ Χρόνου ἄρπη καρχαρόδους, qua oscillante vir vincit periclitatur, sed etiam liberabitur, si quidem saverit uti.<sup>1</sup>*

ERNST JÜNGER (1895-1998)

"Der Waldgang" (1951)

**Impia tortorum longos hic turba furores  
Sanguinis innocui, non satiata, aluit.  
Sospite nunc patria, fracto nunc funeris antro,  
Mors ubi dira fuit vita salusque patent.**

Tetrastichon, quod compositum est, ut inscriberetur portis alicuius fori Parisiis in loco domus Iacobinorum exstruendi

**AEGROTABAM** - mortifere aegrotabam longo isto angore anxio. Denique vinculis solutis cum considerare mihi esset concessum, sensi me animo relinquere. Sententia, horribilis sententia, qua capitis damnatus eram, ultimus fuit sonus distinctus omnium ad aures meas attingentium. Postea voces Inquisitorum mergi visae sunt in aliquem sonum indefinitum. Inde animo finxi fieri *revolutionem*, fortasse quia sono monitus eram rotæ molaris stridentis. Quod brevi tantum spatio factum est; itaque mox non iam audivi. Paulisper tantum

*vidi* nonnulla; at quam terribiliter exaucta! *Vidi* labia iudicum togis nigris indutorum. Quae mihi videbantur alba esse, albiora quam charta, cui haec verba inscribo, et horribiliter angusta, ipsis angustiis exprimentia summam firmitatem, immobilem constantiam, torvum contemptum hominis tormento affecti! *Vidi* decreta fati mei his labiis exire. Vidi eadem incurvari locutione mortifera. *Vidi* iisdem formari syllabas nominis mei, horruui, cum nullus sonus secutus esset. *Vidi* quoque paucis momentis vesani horroris pannos nigerrimos oeci parietibus obductos submissee, vix sensibiliter permoveri - tum oculos conieci in septem cereos magnos mensae impositos. Qui primo praebuerunt aspectum caritatis et visi sunt albi angeli graciles me servaturi. At subito animus meus correptus est vertigine maxime mortifera, ut sentirem omnem fibram corporis mei horrere, quasi tetigissem filum pilae Galvanicae, dum formae angelorum fiebant vana spectra flammeis capitibus instructa, ut viderem ab iis mihi auxilium allatum iri nullum. Deinde autem tamquam molli modo musico furtim commotus coepi cogitare, quam suavis esset tranquillitas sepulchri. Quae cogitatio venit leniter et submissee et, ut videbatur, diu antequam est affirmata et definita; sed eo ipso momento temporis, quo eadem ab animo meo clare sensa et percepta est, formae iudicum quasi vi magica e conspectu meo evanuerunt; magni cerei in vanum sunt delapsi; quarum flammae prorsus extinctae sunt. Supervenerunt tenebrae nigerrimae, quibus factum est, ut ceteris sensibus subito sublatis nihil sentirem nisi animam meam descendere ad Tartarum. Deinde omnia tacita, tranquilla, tenebrosa.

Animo relictus eram; sed non dicam me perdisse totam conscientiam. Quid ex eadem restiterit, non conabor definire, ne describere quidem; non tota quidem erat perdita. In somno altissimo - immo! In delirio - immo! Animo relicto - immo! Morte - immo! Ne in sepulchro quidem perdita est tota conscientia. Alioquin homo non esset immortalis. E somno altissimo excitati dirumpimus sutelam alicuius somnii. Momento temporis post (tam subtilis fuerit sutela) non iam recordamur ea, quae somniavimus. Animo relicto respiscimus duobus gradibus: primo sentimus exstare mentem vel spiritum nostrum, secundo corpus. Probabile esse videtur nos ad secundum gradum regressi, si revocare possemus visiones in primo gradu perceptas, inveniremus easdem memoriam pandentes gurgitis ulterioris. Illa autem gurgis est - quid? Quomodo umbras illius distinguamus a sepulchri? Licet visiones, quibus determinavi gradum primum, non voluntarie revocare possimus, nonne, longo intervallo intermisso, veniunt invocatae, ut miremur easdem venire?

Qui numquam est animo relictus, non est is, qui inveniat mira palatia et facies mirabiliter familiares in carbonibus candentibus; non est is, qui percipiat tristes visiones in regionibus aeriis, quae sane non videantur a multis; non est is, qui meditetur de novello flore fragranti, - non est is, cuius cerebrum stupefiat vi alicuius melodiae, quam antea numquam animadvererat.

Cum assidue cogitabundus studebam recordari, cum vehementer enitebar recuperare aliquod indicium opinati status evanescentiae, in quem lapsa erat anima mea, fuere momenta temporis, quibus somniavi hoc mihi bene successisse; fuere brevia, brevissima spatia temporis, quibus iuravi me recordari res, quas mihi ratio lucida serioris temporis affirmavit ad nihil referre nisi ad opinatum illum statum inconscium. His umbris memoriae mihi narratur, non distincte, de longis figuris, quae me sublatum silentes tulerunt deorsum - deorsum - etiam deorsum - usquedum opprimerer vertigine formidulosa, cum animo fingerem descensum fieri ad infinitum. Illis umbris etiam narratur cor meum quodammodo horruisse, quia idem cor fuerit immaniter tranquillum. Deinde mihi videntur omnes res circumiectae subito redditae esse immobiles; quasi illi, qui me tulerant (agmen sane formidabile!) fines infinitatis assecuti quiescerent a labore exanclato. Postea in memoriam revoco sensum insipidum et umidum; tum autem omnia sunt *insana* - effectum insanam memoriae, quae studet noscendis rebus prohibitis.

Repentissime revererunt ad animam meam motio et sonus - motio cordis tumultuosa eiusdemque palpitantis sonus auribus meis inditus. Tum pausa, in qua omnia evanuerunt. Tum iterum sonus et motio et accessio - sensus tremoris corpus meum pervadentis. Tum reddita mihi est conscientia ipsius existentiae meae - sine cogitatione - quae condicio diu valuit. Tum, repentissime, *cogitatio*, et terror horribilis et primum studium veri status mei comprehendendi. Tum vehemens desiderium status insensibilis iterum assequendi. Tum repentina refocillatio animae meae et conatus efficax me movendi. Nunc autem integra recordatio causae iudicialis, iudicum, nigrorum pannorum parietalium, sententiae, aegrotationis, animi defecti. Tum oblivio omnium, quae secuta erant, omnia, quae die seriore et studio vehementiore aegre potui in memoriam revocare.

Usque nunc non aperueram oculos meos. Sensi me stratum esse supinum, a vinculis solutum. Manus erecta graviter incidit in rem duram et umidam. Per complures minutas passus sum me sic remanere, cum studerem imaginari, ubi et *qualis* essem. Cupiebam, sed non audebam uti visu meo. Timebam, ne primo aspicerem circumiecta. Non autem timebam, ne aspicerem res horribi



les, sed metuebam, ne ibi viderem prorsus *nihil*. Denique animo atrociter desperato rapide aperui oculos meos. Opiniones meae pessimae tum sunt confirmatae. Circumdatus eram nigredine noctis aeternae. Luctabar spiritum ducere. Tenebris densissimis mihi videbar opprimi et suffocari. Aer erat intolerabiliter crassus. Adhuc stratus studebam exercere rationem. Mente perolvebam causas Inquisitionis, unde temptabam concludere, qualis esset mea condicio vera. Sententia erat dicta; videbatur mihi interim esse elapsum intervallum temporis valde longum. Tamen ne momento quidem opinatus sum me esse vere mortuum. Talis opinio, quaecumque legantur in fabulis, omnino non convenit cum vera existentia - sed ubi fui et qualis? Capitis damnati, ut scivi, solebant perire in *actibus fidei*, et unus eorum factus erat ipsa nocte illius diei, quo causam dixeram. Num reportatus eram in carcerem, ut reservarer ad proximum sacrificium, quod fieret nonnullis demum mensibus post? Statim intellexi ita non esse. Nam Inquisitores egerant hominibus statim sacrificandis. Praeterea carcer meus, sicut omnes cellae damnatorum Toletanae, fuerat solo lapideo ibique lux non penitus erat exclusa.

Horribili cogitatione subito sanguis instar fluvii torrentis propulsatus est ad cor meum, ut per breve spatium temporis manerem iterum sensibus privatus. Cum resipuissem, primo prosilui omni fibra convulsa tremente. Lacertos excussi supra et circa me, in omnes directiones. Quo sentiebam nihil; tamen non ausus sum gradum facere, quia formidabam, ne pede offenderem muros sepulchri. Ex omnibus poris mihi erumpebat sudor, cuius guttae gelidae et grandes fronti adhaerebant. Denique, cum non iam sustinerem animi mei suspensi angorem intolerabiliter exactum, caute sum progressus, brachia extendens, oculos e cavis protuberans, spe inductus radium lucis capiendi vel tenuissimum. Processi per multos gradus; sed adhuc erant tenebrae et inanitas. Liberius respiravi. Manifestum esse videbatur fatum meum saltim non esse omnium formidulosissimum.

Nunc autem, cum pergebam caute progredi, in memoriam mihi inciderunt vagi rumores sescenti horrorum Toletanorum. De carceribus narratae erant res mirae - quas semper putaram fabulas - sed mirae, et terribiliores quam ut repeterentur nisi susurrando. Num essem in hoc mundo tenebrarum subteraneo relictus, ut fame perirem? An aliud fatum, fortasse etiam formidabilius, mihi maneret? Idem finitum iri morte, morte quidem amariore quam solita, mores iudicum meorum melius noveram quam ut dubitarem. Quomodo et quando fieret, in his tantum aestuabam pernoscendis. Manibus erectis denique attigi solidam rem obstructam. Haec res videbatur

esse paries operis lapidei - valde laevis, lubricus, gelidus. Quem secutus sum; gradiens omni cum suspicione diligenti, qua imbutus eram quibusdam narrationibus vetustis. Tamen hac actione nequaquam indagare potui dimensiones carceris mei; nam forsitan eundem semel si circuisssem et revenissem ad locum, unde profectus essem, huius rei fuisset inconsciis; tam perfecte uniformis paries esse videbatur. Itaque quaerebam cultrum, qui fuerat in sacculo vestis, cum ducerer in conclave Inquisitionis; sed idem erat ablati; nam vestimenta mea commutata erant cum amiculo rudis sargii. Cogitaveram enim aciem impingere alicui rimae operis muralis, ut signarem locum proficiscendi. Difficultas quidem fuit exigua; tamen eadem, ut eram mente alienata, primo mihi visa est inexcuperabilis. Partem limbi e vestimento excissam per longitudinem et ad pares angulos opposui parieti. Cum iter praetentans semel circuisssem totam custodiam meam, me non posse aberrare ab hoc panniculo. Sic saltim cogitavi: at non respexi amplitudinem carceris aut meam infirmitatem. Solum enim erat umidum atque lubricum. Itaque postquam aliquamdiu protinus titubavi, pede offenso decidi. Quia essem fatigatissimus, remansi prostratus; mox autem me cubantem oppressit somnus.

Experrectus cum brachium erexissem, iuxta me inveni panem et urceum aqua completum. Lassatior eram quam ut hanc rem considerarem, sed avidè edi et bibi. Paulo post perrexi iter circa custodiam faciendum magnoque cum labore denique assecutus sum panniculum sargii. Intra spatium temporis usque ad casum meum transactum numeraveram quinquaginta duos gradus, circuitu perrecto numeravi gradus duodequingenta: - usque dum assequeretur panniculum. Ergo in summa fuerunt centum gradus; binos autem gradus ulnae aequiperans aestimavi carcerem circuitu patere quinquaginta ulnarum. Inveneram autem in pariete multos angulos, ita, ut non cognoscerem, qualis esset forma fornicis; fornicem quidem esse non potui, quin opinarer.

Vix mihi mit consilium - certe nulla spes - quibus haec indagarem; sed vaga quadam curiositate inductus sum, ut pergerem hoc facere. Pariete relicto constitui, ut irem per oecum transversum. Primo processi cautissime, quia solum, quamvis videretur constare e materia solida, fallacis erat lubricitatis. Denique animo capto non iam cessavi firme progredi studens, ut irem per oecum linea quam rectissima. Aliquot decem aut duodecim gradus hoc modo progressus eram, cum panniculus e limbo vestis meae excissus cruribus meis est implicatus. Ita factum est, ut vestigio fallente vehementer procumberem in os pronum.

Casu meo consternatus non statim animadverti rem aliquatenus stupendam, ad quam paucis momentis temporis post, cum adhuc manebam prostratus, animus meus conversus est. Quae erat haec - cum mentum meum positum esset in solo custodiae, labia mea et pars capitis superior, quamvis viderentur minus elevata esse quam mentum, attigerunt nihil. Eodem tempore frons mea visa est perfundi lento vapore et nares meae invasae sunt odore peculiari fungorum putridorum. Bracchio protenso horruui, quod animadverti me cecidisse ipsam in marginem putei circularis, cuius amplitudinem scilicet nulla ratio mihi fuit, qua explorarem. Manu opus murale margini proximum praetentans exsculpsi parvum fragmentum, quod sivi decidere in abyssum. Per multas secundas auscultavi idem decidens reverberari chasmatis lateribus; denique aquis submersum est sono fusco, qui exauctus compluries repercussus est. Eodem momento temporis supra me ex alto venit sonus similis ianuae celeriter apertae et rapide clausae, cum tenuis radius lucis inter tenebras subito emicuit subitoque evanuit.

Nunc, cum clare cognovissem, quid mihi destinatum esset, ipse mihi gratulatus sum, quod incommodo forte fortuna facto illud effugeram. Antequam decidi si uno gradu etiam progressus essem, mundus me non iam revidisset. Genus autem moriendi, quod modo evaseram, erat inter illa de Inquisitione narrata, quae putaram esse fabulosa et frivole efficta. Inquisitores hanc condicionem proponebant, ut tyrannidi suae subiecti aut morerentur cum corporum tormentis maxime diris aut cum animarum horroribus atrocissimis. Equidem reservatus eram ad moriendi genus postremum. Longa passione nervi mei erant tam vehementer debilitati, ut tremere audiens ipsam vocem propriam et fierem omni modo aptissimus ad genus tormentorum, quod mihi manebat.

Anglice scripsit  
Edgar Allan Poe

In Latinum convertit  
Nicolaus Gross  
Germanus Coreanensis

(Narrationis pars altera in proximo libello sequetur!)

<sup>1</sup>Originaliter: "Das Ausserordentliche an diesem Geist liegt in der Sparsamkeit. Wir hören das Leitmotiv, noch ehe sich der Vorhang hebt, und wissen bei den ersten Takten, dass das Schauspiel bedrohlich werden wird. Die knappen, mathematischen Figuren sind zugleich Schicksalsfiguren, darauf beruht ihr unerhörter Bann. Der Maelstrom, das ist der Trichter, der unwiderstehliche Sog, mit dem die Leere, das Nichts

anzieht. Die Wassergrube gibt uns ein Bild des Kessels, der immer dichteren Umkreisung, der Raum wird enger und drängt auf die Ratten zu. Das Pendel ist das Sinnbild der toten, messbaren Zeit. Es ist die scharfe Sichel des Chronos, die an ihm schwingt und den Gefesselten bedroht, doch ihn zugleich befreit, wenn er sich ihrer zu bedienen weiß."

## Novarum consuetudinum incommoda

Nares iam satis haud erant foratae,  
non fixi lapides in umbilicum,  
non braccae lacerae, comae colore  
pictae pervario: novis oportet  
inventis recreentur ad stuporem  
femellarum animi cate excitandum.  
Amens mos hodie placet puellis:  
vel cum saevit hiems gelu peracri,  
per furvas prohibens vias vagari,  
anni tempore quo iacet veterno  
obtusum omne animal gravi sopore,  
hac illac videas, tuis ocellis  
vix credens, mulierculas procaces  
indutas tunicis tenuis pedulis (1),  
detectas manicis tamen decoris  
et qua parte solent tegi mamillae;  
tibialia tamquam onus molestum  
aspernantur identidem protervae;  
natant sandaliis pedes, eburnis  
tessellis similes, ut in pusillo  
cernatur digito polita pala (2).  
Laetentur licet hoc libidinosi  
mares; ocius at, puto, dolebunt  
pulmones fracidi puellularum (3).


(Metrum Phalaeicum)

- 1) Pedule,-is: adhibetur substantivi loco soleam significantis in libro de differentiis vocabulorum Frontoni attributo p. 2194 Putsch.
- 2) Pala,-ae: id est anuli funda, sive pars latior, cui gemma infixata est; cfr. Cic. off. III,38.
- 3) Id est, iuvenum feminarum, de quibus in hoc carmine agitur.

Orestes Carbonero

## Res variae et mirae de bestiis

### Gallus in carcerem abductus est



In Columbia Americae Meridiana iustitia etiam gallis pugnatoribus non parcat. Gallus nomine 'Bene', qui a sociis suis maxime timetur, a praefecta municipali oppidi nomine 'Riohacha' in Columbia septentrionali siti carcere per duos dies damnatus est. Nam ictibus rostri non adversarium vulneravit, sed areas floribus consitas et diligenter cultas, quae ad viam publicam sitae sunt, funditus

delevit. Dum gallus pugnator hoc crimen committit, dominus eius victoriam, quam maleficus paulo ante adeptus erat, celebravit.

### Ratti dies festos agunt



Nuper custodes publici Novi Delii (Neu Delhi) in India difficultates vero mirabiles habuerunt: Multitudine rattorum ebriorum urgebantur, qui metu felium neglecto in mensis et in sellis stationum saltabant. Quae bestiae custodes publicos paene ad summam desperationem adduxerunt. Nullum enim remedium contra molestiam rattorum inveniri posse videbatur. Etiam feles paulatim

cibum continuo e rattis ebriis constantem fastidire coeperunt. Imprimis eae stationes custodum publicorum his difficultatibus urgebantur, quae in horreis suis potiones alcoholicas contra legem confectas, quas publicaverant, deposuerunt. Aliquando rattos delectationes illarum potionum cepisse apparet. Ex quo dentibus acribus rodentes receptacula plastica potionum alcoholicarum facillime aperuerunt et potaverunt quoad totaliter ebrii erant.

## Deambulatio per Berolinum urbem



Grege suum ferarum curiosarum et alacrium e silva Berolinensi, cui nomen 'Grunewald', eruperunt et custodes publicos aliquamdiu excitaverunt: Quattuor sues ferae cum quindecim pullis ad ambulationem per vicum, cui nomen 'Wannsee', profectae sunt. Per breve tempus viam publicam ad Posdanum (Potsdam) interruperunt, stationem benzinariam diligenter inspexerunt et nonnullos

hortos fodentes araverunt.

Custodum publicorum studium bestias in silvam repellendi laboriosum et difficillimum erat factu: Pulli iterum iterumque in hortos aufugerunt, et matres adduci non potuerunt, ut sine pullis se reciperent. Denique custodibus publicis contigit, ut loco apto saepem horti persecarent et gregem suum ferarum in silvam fugarent.

Daniel Weissmann

## Novarum consuetudinum incommoda

Nares iam satis haud erant foratae, non fixi lapides in umbilicum, non braciae lacerae, comae colore pictae pervario: novis oportet

inventis recreentur ad stuporem  
 femellarum animi cate excitandum.  
 Amens mos hodie placet puellis:  
 vel cum saevit hiems gelu peracri,  
 per furvas prohibens vias vagari,  
 anni tempore quo iacet veterno  
 obtusum omne animal gravi sopore,  
 hac illac videas, tuis ocellis  
 vix credens, mulierculas procaces  
 indutas tunicis tenus pedulis (1),  
 detectas manicis tamen decoris  
 et qua parte solent tegi mamillae;  
 tibialia tamquam onus molestum  
 aspernantur identidem protervae;  
 natant sandaliis pedes, eburnis  
 tessellis similes, ut in pusillo  
 cernatur digito polita pala (2).  
 Laetentur licet hoc libidinosi  
 mares; ocus at, puto, dolebunt  
 pulmones fracidi puellularum (3).

(Metrum Phalaeicum)

- 1) Pedule,-is: adhibetur substantivi loco soleam significantis in libro de differentiis vocabulorum Frontoni attributo p. 2194 Putsch.
- 2) Pala,-ae: id est anuli funda, sive pars latior, cui gemma infixata est; cfr. Cic. off. III,38.
- 3) Id est, iuvenum feminarum, de quibus in hoc carmine agitur.

Orestes Carbonero



- Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS VARIVS für mich selber)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

- Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:)

Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

\_\_\_\_\_

Ort, Datum: \_\_\_\_\_

Unterschrift: \_\_\_\_\_

Hier bitte frankieren

RVMOR VARIVS  
 c/o aeschlimann publicity  
 Rosenweg 7  
 CH - 8353 Elgg


PP/Journal

4702 Oensingen

2/99

IDIBVS IVLIIS

MCMXCIX



RVMOR VARIVS



TOMVS 22

FASC. 128